

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

**MERCURIO,**

QUAM

*CONSENSU ET AUCTORITATE*

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA IN CELEBERRIMA C. R.  
MEDICO - CHIRURGICA

ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Joannes Michael ~~Schulch~~ <sup>9605</sup>

Szobotistino - Nitriensis *INST. MED. PHARM.*

Medicus castrensis *Tig.*

*Bibliotheca Generalis*

*Inv. Nr.* **89341**

---

*In Theses adnexus disputabitur in aedibus Academiae  
Josephinae, die 26. Julii anni 1836.*

---

VINDOBONAE,

TYPIS FRANCISCI LUDWIG

JUN 2004

UNCF

11609

MAGNIFICO. SPECTABILI.

DOCTISSIMO. AC. CELEBERRIMO.

V I R O.

DOMINO. DOMINO.

JOANNI. MICHAELI. WEBER.

DOCTORI. CHIRURGIAE.

CAESAREO. REGIAE. APOSTOLICAE. MAJESTATIS.

CONSILIARIO.

MEDICO. CASTRENSI. PRAETORIO.

NUMMO. AUREO. MERITORUM. CIVILIUM.

DECORATO. etc. etc.

MEDICO. MERITIS. AC. VIRTUTIBUS.

I L L U S T R I.

SUO. PIE. VENERANDO. AVUNCULO.

FAUTORI. ET. BENEFACTORI.

CUI. AUCTOR. FORTUNAS. IN. ACCEPTIS.

R E F E R T.

IN. PERPETUUM. SUMMAE. VENERATIONIS.

OBSERVANTIAE. AC. GRATITUDINIS.

NULLO. TRACTU. TEMPORIS. EXHALATURAE.

TESTIMONIUM.

HASCE. TENUES. PAGELLAS. SACRAS. VULT.



gratissimus  
EX. SORORE. NEPOS.

---

## P R A E F A T I O.

---

Concinandae Dissertationis inauguralis gratia, materiam notissimam, et inprimis his temporibus, adeo popularem, ut defectus illius neque concipi possit, cujus usus ut ita dicam quotidianus est, pertractandam selegi, ne quis dicere possit, me nullam eorum quae scribo, habere notitiam. — Absit tamen procul a me, ut mihi adulari praesumerem, primitias has aliorum matura vincere posse ingenii producta. — Medicina non modo intuitu status sui praesentis, sed et quoad naturam et indolem suam internam, realis perfectionis ulterioris continuo capax est et erit. Quam primum in permultis iis, quae divinae huic arti sub-

serviunt scientiis, notae detegentur veritates, aliam illico etiam eorum, quae in hoc opusculo proposita sunt, nonnulla, adipisci debebunt imaginem. Ceterum, qui Dissertationunculam hancce dijudicaturi sunt, meminisse velint, hoc non proprii impulsus, sed obligationis *Academicae* productum esse.



## I n t r o d u c t i o .

**M**ercurius, Hydrargyrum, Hydrargyrus, (ex ὕδωρ, aqua, et ἀργυρος, argentum), Mercurius regulinus, purus, vivus, currens, virgineus, Hydrargyrum virgineum, Servus fugitivus, Argentum vivum s. liquidum s. fusum s. mobile, Aqua argentea, Aq. metallorum, Aq. sicca, Aq. non madefaciens manus, Protheus, Chamaeleon minerale, Illusor s. Impostor chymicorum, Azoph, Zaibar Zabach etc. ☿ Quecksilber, Quick Silber, regulinisches, reines, laufendes, lebendiges Quecksilber, Merkur, Wasser Silber, Jungfernsilber, Jungfernquecksilber, laufender Merkur. Gall. Mercure, Mercure liquide, Vif-argent, Hydrargyre. Hung. Kénesö, Kényesö. Slav. Živé stříbro. Ital. Mercurio. Substantia, qua carere non possunt artes, amissam in aeternum lugeret Medicina. Varietas et indoles nomen, quibus insignitur, indicio est, quam irresoluta fuerit antiquitas, quodnam demum nomen prodigiosae huic substantiae maxime conveniens foret. Metallum hujus tantam praeci-

pue nostris temporibus auctoritatem adepti historia primitiva, fabularum involucris obruitur, studium vero ejusdem in ridiculis Alchimi-  
starum laboribus prima sua habet incunabula. Hi nerape metallum hoc minus rarum, in aurum argentumque convertere intenti, idem pro  
obiecto innumerorum suorum experimentorum posuerunt. Ex his investigationibus, producta pro Medicina, aliisque artibus, pretiosissima, nec unquam satis aestimanda emerferunt. Re-  
medium, quod in re medica tot fructus dulces acerbosque jam tulit, quod tot laudibus decoratum, turpissimisque criminibus oneratum ex-  
stitit, juxta recentissima medica principia, castissimasque observationes ex parte describere opusculi hujus scopus est. Exponetur itaque,  
1) Historia medica, 2) Physiographia, 3) Physicae et Chemicae Hydrargyri proprietates, 4) Actio in organismum humanum, 5) Morbi in quibus indicatur et contra indicatur, 6) Surrogata. —

## C a p u t I.

### Historia Hydrargyri Medica.

Mercurius diu exclusus e territorio Materiae medicae fuit. Dioscorides illum tanquam venenum proscribit, inque casum si interne sumtus fuisset, remedia contra sequelas ejusdem diras, talia suadet: nempe largam lac-



tis quantitatem, vinum absynthio, hyssopo, origano paratum; qua antidotum vero mirae efficaciae limaturam s. folia auri ex aqua hausta praedicat. Non aliter etiam commentatores Dioscoridis sentiebant, posteaquam enim supra naturam et originem Mercurii, Cinnabaris, Miniique divagati fuissent; metallum nostrum in classem venenorum relegant. Galenus ejusdem fuit opinionis, quia nunquam se hoc remedium administrasse fatetur, dicens: Ceterum interimatne devoratum, aut admotum extrinsecus, nondum feci periculum. Omnes porro Medici Graeci Romanique vel plane nullam ejus mentionem faciunt, vel contra illum pugnant; e quorum numero Oribasius, Aetius, Paulus Aegineta pluresque alii sunt. Jam Medici Arabes Rhazes, Avicenna, Mesné, plus ausi, majoriquae sagacitate in observando instructi, saepius tentamen, licet solummodo externe cum hoc remedio fecerunt, etiamsi illud cum antecessoribus suis pro veneno habere non desisterent. Adhibuerunt imprimis in frictionibus contra pediculos. Successus inde obtentus animum postea excitavit, usum substantiae ejusdem in pluribus affectionibus cutaneis experiri, praeprimis in scabie, cujus morbi existentiam pariter ab insectis sed ab illis longo

diversis repetendam jam illi tunc suspicati sunt. Seculis XII. et XIII. commercio inter Arabes, Europaeosque tam per bella Maurorum in Hispania, quam per expeditiones cruciatis arctiori in dies reddito, proprietates, et innoxia Mercurii indoles in Europa quoque innotuerunt. Arnoldus de Villeneuve, Gordon, Guy de Chauliac, Theodoricus, Medici hujus aevi in sequentibus casibus illum adhibuerunt. Unguentum, quo communiter uti solebant, et quod in Guy de Chauliac prostat sequenti ratione compositum fuit:

Rp. Euphorbii

Lithargyri

ãã drachmas octo

Staphysagriae drachmam unam

Mercurii vivi drachmas duas

Axungiae porci drachmas duodecim.

Haecce quantitas in septem partes dividebatur; frictiones cum illa circa femora et genua spatio septem dierum ad calorem solis vel ad fornacem instituebantur. Usus unguenti hujus usque ad finem Seculi XV<sup>ti</sup>. eadem ratione continuatus fuit, quo tempore novus morbus cutaneus Europae incolas conterruit, artemque medicam sicut illa tunc temporis fuit, delusit. Duo fere anni defluerunt inter inutilia tentamina pro sanandis Variolis magnis ita

primum nominatis, donec tandem per analogiam, quod Mercurius contra morbos cutis efficax, in hac aegritudinis forma quoque sua non carebit virtute, concludendo, ad hoc remedium Medici confugerent. Et en pustulae in incremento hocce pharmaco retinentur, quin spatio aliquot septimanarum plane abiguntur. Fama ususque medicamenti tam efficacis brevi propagatur, et gratiae habentur universim, pro detectione tam ponderosa. Quis vero felicem hanc ideam primus concepit, determinatu est difficile. Communiter Berengario de Carpi hic honor tribuitur, qui una Medicus et Chirurgus, frictionibus mercurialibus magnas opes acquisivit. Sed illum non ante annum 1512 Mercurium contra morbum novum adhibuisse, historia perhibet. Josephus Grumpeck vero jam 1496 unguentum quoddam cum argento vivo paratum publicavit. Conradus Gilius 1497 formulam compositionis unguenti dedit, cujus decimam quartam partem Mercurius vivus, vigesimam octavam Mercurius sublimatus corrosivus constituit. Joh. Veidmann eodem anno, Sebast. Aquilanus 1498, Casp. Torella Hispanus Romae habitans 1499, Ant. Benivenius 1502 unguentorum Mercurio plus minus onustorum mentionem faciunt. Berengarius de Carpi suum

publice notum nunquam fecit unguentum; probabile tamen est, multas substantias inutiles illud continuisse; antiquissimum tale quod novimus, nempe illud a Guy de Chauliac decimam partem Mercurii habuit, reliqua e resinosis pro majori ut tum creditum est, efficacia, consistebant. Sic compositio Conradi Gilini fuit: R. Sublimati (non mercurialis) Thuris — Lithargyri — Tartari ana Drachmam; Argenti vivi — Mastiches — Sarcocoll. — Ireos, Semin. Plantaginis ana Drachmas duas; Axungiae porci — Butyri ana Drachmas tres; Sulphuris — Cerussae ana Drachm. quatuor; Olei comm. suff. quantt. Hic, ut videre est, Mercurius vix decimam sextam totius partem constituit. In Joannis Vigo formula fere vigesima quinta, — quarta vel quinta pars est in tractatu Alexandri Petronii (1566). — Unguentum mercuriale hac ratione plus minus compositum fuit ultra spatium Seculi. — Pigray Parisiensis, Medicus Henrici IV., unguentum, cujus tertiam partem constituit Mercurius, adhibuit (1606). Lausonus Ferrarensis plures species unguentorum indicat, unam e quarta parte Mercurii, sed cum exigua Sublimati corrosivi quantitate; alteram e tertia Mercurii parte; tertiam e duabus Mercurii et una pinguedinis; denique aliam e partibus aequa-

libus Axungiae et Metallii. Haec ultima proportio successu temporis maxime Medicis placuit, ita ut Unguentum mercuriale communiter sic pararetur, nisi casus speciales minorem vel majorem dosim Mercurii requirerent. — Usque ad Joannem Vigonum Mercurii externus solum fuit; hic primus interne illum et quidem contra pestem, postmodum autem Mathiolus contra luem veneream dedisse refertur. Praesertim vero Paracelsus internam ejus administrationem in syphilide inculcavit. Successu temporis usus internus, et in genere applicatio Mercurii contra alios quoque praeter pestem et syphilidem morbos, sensim extendebatur. Dolendum modo est, quod multi inconsiderati et initio ut naturale est imperiti Medici, penes tentamina et experimenta sua prima, vires aegrorum per sudores et salivationes enormes exhausserunt. Postquam Saeculo XVIII<sup>vo</sup>. meliora principia in Medicina inventa fuissent, etiam applicatio Mercurii majori cum cautela institui coepit. Exeunte hoc eodem Saeculo vires Mercurii medicatrices in aliis quoque praeter luem veneream morbis melius aestimatae sunt. Tandem recentissima aetate Loubrier et Rust systematicum quasi remedium ejusdem usum, tamquam antiquissimarum propriarumque observationum resultatam

mundo obtulerunt, nihil quidem novi proferentes, sed id, quod primitus jam factum est, salubrius organisantes et in oeconomiam vitae impavido penetrantes animo.

## C a p u t II.

### P h y s i o g r a p h i a H y d r a r g y r i .

Planeta quem incolimus haud exiguam hujus metalli in suo recondit sinu. Fodinae Aethiopicae in Africa hodie amplius quidem non coluntur, ast in Europa magna Mercurii copia pluribus in provinciis continuo visceribus terrae eximitur. Ditissimis fodinis gaudet Hispania quibus eae Monarchiae Austriacae vix inferiores censendae sunt, quae in Idria, Hungaria, et Transylvania inveniuntur. Porro Palatinatus in Germania, et quaedam regiones in Gallia eodem gaudent. America meridionalis quoque divites in Nova Granada, Peruvia, et Mexico tenet Mercurii fodinas. Denique notum est quantum India orientalis habeat, exterisque subministret.

Sub quadruplici autem forma Hydrargyrum in fodinis venit in conspectum, vel nempe

1) merum s. metallicum, sicut in Sicilia, sed in genere admodum parca quantitate, vel

2) cum aliis metallis, et in specie cum argento, cupro, plumbo, hinc inde et cobalto atque arsenico unitum, amalgama referens, vel

3) cum sulfure, eoque vel solo, vel cum ferro simul, sub nomine cinnabaris vulgo veniens, vel denique

4) sub salis muriatici aut sulfurici forma.

Hydrargyrum, quod veni expositum est, fere nunquam purum, proinde in usum quoque medicum minime aptum est. Cum vero tanti intersit, ut non aliud in medicorum usum veniat Hydrargyrum, nisi penitus purum, eo prospiciendum erit, ut, quodcunque ad paranda medicamina assumitur, aut praevia destillatione purgetur, aut, quod praestat, ex Hydrargyro sulfurato nigro; aut Cinnabari artefacta, aut Hydrargyro muriatico corrosivo reducatur. Nec ita arduum est impurum a puro discernere. Quod enim minus splendet, versicolore obducitur pellicula, in charta inertius fluit, in globulos caudatos non perfecte sphaericos, vestigia griseo-nigra post se relinquentes secedit, manus tractantis tingit, igni expositum non integrum avolat, acido nitrico pro parte tantum solvitur relicta calce stannea, — vel etiamsi integrum solvitur, aut adfusa aqua destillata calcem Bismuthi, aut addita solutione sodae sulfuricae fervida plumbum sulfuricum deponit: tale inquam Hydrargyrum purum non est, et semper ex apparatu medicamentorum arcendum.

### C a p u t III.

#### Physicae et Chemicae Hydrargyri proprietates.

Mercurium in serie reliquorum metallorum plures proprietates singulares sibi penitus oppositae, miro tamen concentu in hoc uno corpore ad harmoniam unitae, distinguunt. Hoc enim est solum in rerum natura metallum, in quo maximum pondus cum summa volatilitate et dilatibilitate, — splendor magnus cum maxima divisibilitate et liquescentia; — vis centrifuga cum centripeta respectu globi terraquei, aliique plures characteres e diametro sibi invicem oppositi in connubium combinati occurrunt. — Coloris est albo caerulei non multum ab argento quoad habitum externum abludens. Decies et quater gravius aqua, densissima penetrat corpora; permeat enim corium, ipsaque admodum cohaerentia metalla, quorum posteriorum plura sub forma amalgamatis in suo continet contextu. Summe liquescens sub consueta atmosphaerae temperatura disfluit, et juxta observationem Professorum scholae Polytechnicae Petropolitanorum ad  $-31^{\circ}$  R. solidescit, crystallisationem minimorum octaedrorum induens, malleoque tractatum, sonum plumbi similem praebet. Ad  $140^{\circ}$  R. ebullit, sub minori vero temperatura in vapores disce-



dit, qui in vasis clausis in metallum merum iterum coeunt. Oxygenium avidè absorbens et sub aëris contactu tritum, aut cum aqua agitatam, vel sub aëris accessu in vaporem expansum in calcem imperfectam s. oxydulum cum  $\frac{1}{2}$  oxygenii convertitur; igni autem forti expositum in libero aëre, in calcem perfectam s. oxydum cum  $\frac{1}{2}$  oxygenii permutatur; in statu priori sub nigro, in posteriori sub rubro apparens colore. Ex hoc statu, vi solius ignis absque addito fluxu iterum reducitur. In acidis mineralibus solvitur, et quidem facillime in nitrico quamvis frigido, in sulfurico jam solum ope caloris, cum muriatico tamen maximam affinitatem habet. Acida vegetabilia tantum calces ejusdem solvunt. Potenter processum electricum et galvanicum sollicitans, et bonum sistens electricitatis caloricque conductorem, confectioni barometrorum, thermometrorum, aliorumque instrumentorum inservit, notusque est refrigerationis a massa hydrargyri in manum cadente sensus.

#### C a p u t IV.

##### Actio Mercurii in Organismum humanum.

Mercurii magna in Organismum humanum potentia innumerosum experimentorum testimonio confirmatur. Hoc quidem non tam de metallo ipso, quam de ejus praeparatis valet; quia illud proprie si interne sumitur, nullam exserens virtutem praeter vires mechanicas, immutatus per tubum alimentarem ruit, nisi obice aliquo retineatur, oxydeturque, quo in ca-

su activitas ejusdem illico evolvitur. Quod tamen ipsum hydrargyrum metallicum corpori organico amicum non sit, videre est ex entozois et insectis, quorum plurima et quidem praecipue et pleraque illa, quae parasyticam ducunt in corpore humano ipso, vel saltem in illius sphaera vitam, illud jam e longinquo fugiunt. Si itaque jam ipsum metallum in aliqua non solum mechanica, sed etiam dinamica relatione cum organismo sit; praeparatorum vero ejusdem talis est hoc respectu gradatio: oxydula jam sat potenter, sed magis adhuc oxyda, validissime vero sales oxydum continentis organismum afficiunt. Efficacia haec mercurialium metamorphosi tam in universo systemate, quam in singularibus functionibus percipienda manifestatur. Phaenomena, quae hoc clarum faciunt, infra recensebuntur, hic modo memorare oportet, praecipue systema reproductivum primario vim Mercurii experiri, et quidem in inferioribus ejusdem gradibus, nempe in seri lymphaeque officina, ubi dum vitalitati altior impertitus energiae gradus, reliquis systematibus necessaria subtrahitur vigoris mensura. Nec tamen adeo aequilibrum, ut quidam volunt, turbatio, quam poli potius processus formativi inversio momentum illud foret, quo Mercurii actio reducenda mihi quidem videtur. Vita lympham in altiores naturae animalis gradus, ad fastigium soliditatis et roboris evehere continuo adlaborat. Mercurius vero ipsam hanc lympham et successive omnes reliquas substantiae organicae gradationes ad infimum gradum dejicit, cohaesionem minuit, et resolutionem inducere intendit. Penes hoc nunquam praetervi-

denda est specifica illa actionis Mercurii modificatio, quatenus is peculiari, et ab aliis remediis, quae secus idem quod Mercurius praestant, longe diverso modo, suum in organismum influxum exercet, — quo sue specifico caractere e maximo alioquin vitae et organisationis inimico, in peculiari hujus situatione maxime beneficus ejusdem amicus, cui aequiparandum nondum alium novimus, evadit. Hic illa fundatur actionis ejusdem in generalem et specialem distinctio.

Singularis Mercurii cum organismo in conflictum constituti efficacia, imprimis vero exclusive sibi propria in luem debellandam potestas diu jam Jatrophilosophorum mentem exercet. in solvenda hac quaestione, quodnam proprie illud principium sit, quo Mercurius in Organismum agit, et qua ratione in specie virus venereum in corpore humano ille jugulat? Incitabilis stimulus, quo solidis partibus mutuato, exaltataque aut depressa energia vitali, dynamica hac ratione effectus Mercurii in conspectum venire contenderunt. Scholae Mechanicae et Chemicae addicti, suo iterum modo ratiocinabantur, dicentes illi, e divisibilitate et discutiente Mercurii vi, hi vero ex affinitate chemica et ex oxygenatione materiae organicae communicanda, omnes mutationes ab hoc remedio in organismo factas intelligi posse. — Sed quod stimulum attinet, etiamsi ille et quidem specificus Mercurio denegari non possit, et pro systemate lymphatico, et partibus cum quibus in contactum venit, sat validus ille deprehendatur: tamen princi-

palis Mercurii actio in vegetationis alienatione conspicienda in solo stimulo consistere non potest. Dantur enim multo fortiores stimuli, qui hoc idem quod Mercurius non praestant. Nonne miscelae secretorum transpirationisque peculiaris sub usu Mercurii indoles, de vegetatione affecta testantur. Dicunt vero iterum alii, certe stimulo positivo non, — sed negativo agit Mercurius in organismum; secus enim sensum debilitatis non induceret, digestionem et reproductionem non illico prosterneret, evacuationes exaurientes non causaret, Opium et Camphora efficaciam ejus non obtunderet. Enimvero stimulus negativus et Mercurius toto coelo differre videntur; debilitatis sensus non primarius est Mercurii effectus, ipse Mars et Cortex digestionem laedunt, evacuationes potius pro stimulo positivo loquuntur. Opium et Camphora systema nervosum erigendo antagonisticè Mercurium obtundunt. — Mechanicam porro philosophandi rationem quod concernit, multo crassior haec est, quam quod amplius hoc aevo a Medico quopiam coleretur. Quid enim inde, si centies graviores adhuc forent globuli mercuriales, et in centies minores particulas dividerent globulos sanguinis, quid quaeso hinc sequitur? Exstinctane jam hoc solo est syphilis? Desfloruitne rosa venerea? Consopitine dolores osteocopi? Obliteratane ulcera: Dissipatine tophi? — Induratae jam excrescentiae osseae solae forent, quarum sanatio sic explicari posset, sed nec hoc scientiae satis digno modo. Habemus certe discutientia efficacia alia, quae interea pari effectu Hydrar-

gyri carent. — Qui denique principiis chemicis innixi sunt, vel ex solo connubio Mercurii cum Ammonio sanguinis, vel vero e vi prioris materiam acrem syphiliticam ad se trahente, vel denique ex oxygenii Mercurio adhaerentis virus venereum destruendi potentia egressi fuerunt. Affinitatem chemicam solam in organismo activam facere velle unilaterale admodum est, — oxygenio vero omnem virtutem Mercurii attribuire propterea non licet, quia si hoc unicum esset principium agens in mercurialibus, sic aliae quoque substantiae oxygenio non minus divites idem praestare deberent, quod tamen experientiae repugnat. Sunt casus, ubi aliquot grana Mercurii syphilidem sanant, — quam parum hic oxygenii organismo subministratur? Quid si etiam demonstraretur, luem Guajaco, Sassaaparillae ergo hydrogenium continentibus quoque jam cessisse? Ego convictus sum, quod oxygenium medium modo illud est, quod metallum in statu indifferentiae erga organismum constitutum, magis differens reddit. Hinc fit, ut quo magis oxydatum est praeparatum, tanto vividior quoque est inter illud et organismum conflictus, et tanto major facultas, ut vires Mercurii specificae exseri queant. Recentissimorum magis moderati principium mercurialium agens in propria metalli natura et specifica indole ponunt, in quo tamen hoc specificum principium consistat non definiunt. Alii Mercurium ipsum in classem substantiarum phlogisticarum numerantes, principium phlogisticum sed pariter modificatum assumunt. Si vero de modo, quo Mercurius luem sanat, quaeritur; plu-

rimos sibi asseclas habere videtur illa neutralisationis iam a Pressavin, Swediaur, Harrison, et Althof fota theoria, quatenus Mercurius in virus syphiliticum ipsum agendo, illud sua indole nociva exueret obtunderetque, non secus ac alcalia cum acidis agunt. Et profecto haec theoria maxime clara, comprehensu facilis, et simplicitate commendanda esse videretur, nisi purum chemismum redoleret. Quo respectu jam illa pariter nova explicandi ratio magis arrideret, quae syphilitidis ope Mercurii sanationem, e vi hujus remedii febrim artificialem excitante, qua re actione organismi supra morbum syphiliticum elevata, et reproductione sollicitata, processus morbosus contagiosus per novum mercurialem et potentiozem tollatur, evolvere satagit; sed hic iterum, ut videre est, permultum incitationi tribuitur, superiusque attacta paucissimis modificationibus resuscitatur theoria. Ex his omnibus patet, quod non obstantibus gigantibus, quos Medicina nostris temporibus fecit progressibus, obscuritatem tamen in explicanda re tam clara non penitus desiderari. Ea quae tutissime recipi et defendi posset sententia, mihi quidem illa esse videtur, quae actionem Mercurii e chemico-dynamicis nunquam tamen neglecta organismi idea, principiis, cruere nititur. Vis Mercurii non sine stimulo solvens specifica procul dubio ipsi metallo adhaeret, quod ut vires suas exserere queat, conditio sine qua non est, ut oxydetur. Utrum autem hydrogenium vel azotum principium illud antiplasticum sit, hoc eruunt che-

mici. Quod porro virtutem Mercurii antisymphiliticam concernit; hoc objectum densiores adhuc debent tegere tenebrae, si quidem ipsa syphilidis natura nondum penitus clara sit. Quas recentes illius praebent definitiones, ut e. g. illa Vogeliana: Scorbuti cum lepra conubium = syphilidis esse, rem plane non illustrant. Contagiorum ipsorum naturam caliginosa obtegit nox. Tantum interea hic quoque constat, quod in morbosa peculiari systematis lymphatici luxurie, inter liquationem, coagulumque, donec tandem prior superior evadat, vacillante, qualis in syphilitide obtinet, Mercurius chemico-dynamica actione et virus et organismum afficit, vires priori subtrahens, posteriori addens, materiae organicae cohaesionem relaxans, liquationi praecurrens, — destructo vero contagio fere eandem et ipse in organismum metamorphosin, qualem syphilis, cachexiam sic dictam mercurialem inducens. Si periodica symptomatum syphiliticorum, interdiu quasi sepulcorum, post occasum solis exasperatio, — in specie dolorum versus mezonoctium intrans ferocia, — si revolutiones in atmosphaera subsecuturas tam certa syphiliticorum praesagiendi facultas, — si denique aëris frigido-humidi tam infesta in venereas affectiones vis, de processu electrico, qui inter organismum humanum et naturam externam continuo locum habet, manifeste perturbato testantur: neque ille Mercurii insignis in hunc processum restituendum, sicut viceversa accumulato eodem in organismo, in turbandum huncce processum influxus negligendus est.

Quodnam autem principium illud antimiasmaticum in praeparatis Mercurii sit, an hydrogenium, vel azotum, vel oxygenium, vel electricum, — vel horum aliqua, aut plane omnia combinata sint, hoc in praesenti statu Chemiae elucubrari pariter non potest. Juvat hic physiologicam prius, dein pathologicam Mercurii in organismum humanum recepti considerationem subjungere.

a) Errant et quidem vehementer errant, qui Mercurium aliam ac reliqua sive nutrimenta, sive pharmaca viam in organismo metiri affirmant. Vel per oris cavum sphaeram corporis intrat, vel ab extus per absorbentia vasa suscipitur; in utroque autem casu in systema sanguiferum devehitur ille, hinc tandem in sublimioris productionis orbem ingressurus. E ventriculo succis gastrico et exteris, e superficie corporis vero lymphae ita dictae crude permixtus, ibi inter villos tubi alimentaris, hic per varias systematis lymphatici ambages in ductum tandem thoracicum, et inde in officinam sanguinis pervenit. Non tamen inomisse necessarium est, ut huc usque penetret. Saepe enim vel majori sumtus dosi, vel vi ejusdem irritante per alias circumstantias adaucta, localem magis utrobique irritationem, et hoc ipso secretionis augmentum producens, in digestionis fabrica quidem nisi vomitum, certe fluxum alvi largiorem, in lympharum systemate vero salivationem provocat, nervos, ubi cum iisdem in contactum venit, ingrate feriens. Hinc illa Zoochemicorum lis intelligi et conciliari potest, quorum alii nullum, alii vero copiosum in sanguine inve-



nerunt Mercurium. Illi autem quomodo ratiocinentur, qui dicunt Mercurium ad solum systema lymphaticum restringi; nisi ejusdem effectus eminenter in hoc systemate conspicuos fieri putent, non intelligo. Quales enim excubiae in limittibus systematis lymphatici eundem a transitu in sanguiferum retinere possint, hujus rei nemo adhuc fecit commemorationem. Ego salivationi quomodocunque a Mercurio inductae praecedentem halitus foetorem, pro certissimo argumento habeo, quod Mercurius in systemate sanguifero jam praesto sit, nam e solius membranae mucosae affectione idiopathica hoc explicare non semper licet. — In circulo sanguinis ergo jam praesentem, et jam hucusque vel adeo assimilatum ut ad ulteriorem metamorphosim idoneus sit, vel saltem in quantum copia et indoles praeparati permiserunt, subactum, eadem, quae laticem vitalem ipsum explectat sors. Si verum est, quod e subtili sanguinis vapore omnis secretio et per consequens continua momentanea creatio quoque in microcosmo contingit, cum vapore hoc Mercurius quoque in orbem nutritionis transgreditur, in puncta reproducenda deponitur, et intima hoc modo corporis attingit penetralia. Eadem vero ratione, sicut omnes metamorphoseos regredientis scenae contingunt, per multifarios excretionum anfractus, nisi actioni vitali sive quantitas, sivi indoles recepti absolute resistat, corporis limitibus non sine vestigiis peculiaris suae naturae post se relictis iterum eliminatur. Sunt qui superfluum existimant, tortuosum hoc inter Mercurio imponero

ut morbus venereus debelletur. Rectum habent, ubi remedium locale malo locali opponendum; sed equidem non concipio, sive per alterationem membranae mucosae tubi, sive per ignotam virtutis Mercurii in continuo systematis harum membranarum propagationem vinci posse cancos, et ne ulterius serpent, absorbeaturque quod continent virus, limites poni posse. Sunt porro qui polaritatis theoriae addicti mysticas assignant Mercurio in organismo vias, — quibus ego in quantum antagonismum et consensum tam manifeste afficere videtur Mercurius, equidem, sed non omni ex parte assentio; hanc autem polaritatis theoriam, pro regno experientiae, in quo quilibet sanae mentis medicus versatur, non unice et ubique eodem successu applicabilem esse existimo.

b) Effectus Mercurii vel maxime a dosi dependent, generalis hac in re nulla datur regula; praeparatum quodvis diversis dosibus diversos producit effectus. Drachmae duae catomelanos, et aliquot Sublimati corrosivi grana ad semel sumta ad lethalia pertinent venena. Si vero dosis justa est, usus vero diutius protrahitur certa successive in conspectum veniunt phaenomena. Sunt qui Mercurialia diutius sumentes nihil plane persentiunt, ipsumque potentissimum praeparatum optime perferunt; e contra alii vim unius alteriusque grani mitissimi praeparati extempore experiuntur. Discrimen hoc solummodo tempus facit, serius aut ocyus sequentia non emanebunt symptomata successive semet excipientia. Primum quoque praeparatum Mercuriale in solutione sumtum, peculiariter offendit gustum, in ven-

triculum vero quoquo modo pertingens, digestionis opus turbat, dosi quidquam majori adplicatum, vel refrigerio admissio, aut acidis sumtis, alvi fluxum cum torminibus causat. Usu in longius tempus continuato lingua spurca, sapor metallicus, ardor faucium cum siti excedente, spiritus foetens cum rigiditate colli sequuntur; gingiva tumida, a dentibus mucositate glutinosa et summe foetente tectis retracta, spongiosa sanguinem facile fundit, — dentes ipsi vacillant, — post sensum tensionis largus succedit salivae albumini primum similis, dein foetentis fluxus, — salivatio, ptyalismus. — His sese associant adpectus faciei pallidus, tristis, luridus, horripilationes cum aestu alternantes, pulsus frequentes subduri contracti, dolores capitis, ad occiput aut ad radicem nasi prementes lancinantes, dein et artuum osteocopi, debilitas totius corporis, carniū relaxatio, emaciatio. Usu Mercurialium sub tali jam rerum statu ulterius protracto, salivae fluxus enormis fit, lingua ad ingentem magnitudinem intumescit, phlogosis faucium increscit, atque cavum oris ulceribus rotundis cum fundo et margine lardaceo tenuem et foetidam fundentibus saniem, profundius passim latiusque serpentibus obsidetur. Succedunt dein impetigines et ulcera cutis lata cum margine quidquam elato et superficie rubra, tophi, ossiumque mollities, diathesis haemoptoica, scorbuticaque universalis. Effectus ceteroquin hi tam profunde saepe organismo imprimuntur, ut nec annorum series extinguere eos penitus queat.

## C a p u t V.

Morbi in quibus indicatur, et contraindicatur usus Hydrargyri.

Pridem jam Mercurius contra morbos varios in usum trahebatur, et ingens eorum numerus, in quibus ejus vis medicatrix comprobata vel saltem tentata est. Ob ejus physicas proprietates Hydrargyrum metallicum a longo jam tempore opponebatur:

1) Obstructionibus viscerum ex mechanicis causis ortis, et nullis aliis remediis cedentibus, volvulo, intus susceptioni, et inde ortum ducenti ileo, herniis incarceratis, ob pondus divisibilitatemque eximiam, ad excrementa indurata penetranda, promovenda, tubum adhaec alimentarem ad statum normalem revocandum. Quamvis haec applicatio nimis periculosa sit, tamen possibilitatem felicitis eventus experimenta testantur.

2) Entozois, insectis, syphilidi, impetiginibus etc. — Haec tamen actio minus regulino quam potius oxydulato vel aliis substantiis mixto Mercurio adscribenda est. Secundum Hufeland usus metalli puri quadrat, nonnisi in iis casibus, in quibus evictum est obstipationem unice mechanicam esse, et nulla inflammatio adsit.

Hoc aevo adhibetur Mercurius ejusque praeparata generatim in morbis acutis et chronicis qua antisyphiliticum, evacuans, neutralisans, antiphlogisticum, solvens, debilitans, nec non absorbens; aliis in casibus interne, aliis externe.

## I. I n t e r n e.

1, Ubi materia organica specifico modo alterata

existit, hic contra syphylidem primariam et secundariam primum sibi vindicat locum, ita ut affirmare liceat, radicalem hujus morbi curam, unice hoc remedio assequi posse, quamvis non desint contrarium probantes praecipue inter Anglos Rose, Guthrie, Tomson etc.

2. Contra inflammationes, praecipue quae nomine vegetativarum veniunt. Infringendo morbosam plasticitatem sanguinis, cohaesionem partium solidarum relaxando, inprimis luxuriationibus, nisui in exsudationem, concretionibus, praeprimis membranarum, et glandularum lymphaticarum, opponitur. Eximium adhaec effectum adferre solet in encephalide, angina membranacea, catarrhosa et gangraenosa, pneumonitide, pleuritide, peritonitide, enteritide, hepatitide, cystitide, nec non feбри puerperali.

3. Contra continuas, contagiosas, et exanthematicas febres, praecipue inflammatione locali associata, aut retentione excretionum plus minus luculenta.

4. Contra praevalentem luxuriantemque activitatem processus vegetativi, producta spongiosa, entozoa, polypos, aphtas, abnormem luxuriationem glandularum lymphaticarum.

5. Contra morbos systematis reproductivi chronicos, praevalente affectione vasorum lymphaticorum et glandularum lymphaticarum; a) Scrophulas, b) Hydropes,  $\alpha$ ) Hydrocephalum,  $\beta$ ) Hydrorrhachiam. c) Impetigines.

6. Contra morbos chronicos systematis reproductivi cum praevalente affectione vasorum sanguini-

ferorum, nominatim venosorum. Huc pertinent arthritis, rheumatismi inveterati, anchyloses, tumores, indurationes, obstipationes inprimis hepatis et venae portarum, et his innixae febres intermittentes pertinaces, morbi scarlatinae posthumi, icterus, blennorrhoea.

7. Contra morbos chronicos systematis nervosi, a, Tetanum et Trismus, b) Hydrophobiam ab Astruc, Desault, Sauvages, Hagg Cheyne et aliis partim ut prophylacticum, partim ut antidotum commendatur. Bonel vero effective 500 hydrophobicos se hoc remedio sanavisse contendit. Experientia tamen teste morbo huic nunquam opponitur. c) Asthma convulsivum; d) Pertussim; e) Epilepsiam, optatum autem eventum in illa epilepsia sperare licet, quae syphiliticis pseudomorphosis originem debet e. c. cariei ossium eranii, exostosis, tophis etc.

8. Contra specificas illas torsiones, paralyses et contracturas manuum, ex plumbi toxica actione ortas.

## II. Externe.

1. Ad acuendam et extollendam vim interne propinati mercurii, praesertim inveteratis et pertinacibus malis syphilidis praesentibus, jamque periosio, tendinibus, aponeurosibus et ligamentis affectis, quumque destructio ad organa nobiliora transitum minatur.

2. In morbis, in quibus interne applicationi obices ponuntur, organa digestionis adfecta sunt, et aeger ad colicas, diarrhoeas etc. dispositus est.

3. Ad localem magis activitatem partis cujusdam corporis excitandam, morbis cuti proximis e. g. contra glandularum indurationes, tumores; exostoses, tophos; inflammationes; inveterata spongiosa et syphilitica ulcera; chronicas cutis efflorescentias; maculas et pseudoproducta corneae; condylomata, blennorrhoeas etc.

Contraindicantur mercurialia.

1. Universali virium debilitate praesente inprimis autem systematis muscularis, reproductivi, individuis tenerioribus, decrepitis, ad phthisim prouis.

2. Si dispositio ad haemorrhagias passivas, cachexias et colliquationes adsit.

3. Praesente menstruatione, haemorrhoidum fluxu, feбри hectica, diathesi scorbutica et canceratica, nec non in graviditate ad finem vergente.

4. Individuis, mercurio jam saturatis.

5. In arthritide, quia digestio et assimilatio praeterea collapsa est.

6. In complicatione syphilidis cum scorbuto, primum est posterior sanandus.

7. In morbis febrilibus, gastricis, saburralibus pituitosis, verminosus, biliosis, licet nonnulli eum suadeant qua laxans, at habemus tutiora remedia, uti sales neutros.

8. In inflammatione arteriosa, hic praestat venesectio et alius antiphlogisticus apparatus.

9. In omnibus morbis, in quibus et alia remedia minus organismum afficientia pari ratione efficacia se exhibuerunt v. g. in inflammationibus membranarum mucosarum et fibrosarum, licet catarrhum

et arthritidem sanet, ast Tartarus emeticus virtute non est posterior.

10. Idiosyncrasia manifesta occurrente.

## C a p u t VI. Surrogata Mercurii.

Incauta et perversa hujus medicati corporis applicatio, mala posthuma relinquens, aut plane vitam substruens ansam dedit, corpus quod locum Mercurii expleret detegendi, atque sic cohors surrogatorum orta, et a singulis laudata est, hic loci autem pars tantum eorum resensebitur.

1. Antiquissimum est Lignum et Resina Guajaci, ligni sancti a primis salutaribus effectibus adeptum, Diatheseos mercurialis potius, quam luis remedium.

2. Lignum Juniperi in Decocto exhibitum actionem Mercurii promovet.

3. Radix Sassaparillae raro apud nos genuina; si recens et bonae notae obtineretur in Decocto cum fructu adhibenda.

4. Lignum et Cortes Sassafras nisi cum aliis in lue raro praescribitur, ut et

5. Cortex Chinae nodosae.

6. Radix Bardanae, mercurialibus in Decocto qua adjuvans iunctum exhibetur.

7. Radix Saponariae a Medicis Borussiae imprimis laudatur. Datur in Decocto sed tutius qua adjuvans, quam principale remedium.

8. Stipites Dulcamarae et Extractum. Hoc remedium a quibusdam valde celebratur et quidem qua tale, quod solum absque alio syphilidi



tuto opponi possit. Usus ejusdem diutius protractus malis narcoticorum sequelis non destituitur, multi idiosyncrasiam peculiarem contra illud habent. Extractum saepe diarrhoeam causat. Remedium sane in casibus, ubi complicatio cum rheumatismo chronico adest, summae utilitatis.

9. *Nux Juglans*. Communi Medicorum omnis aevi sententia contra luem laudatur, estque ingrediens Decocti Pollini. Remedium hoc Girtanner multum laudat.

10. *Radix Lobeliae syphiliticae* vulgarissima in America contra luem in Decocto.

11. *Cortex et Radix Mezerei*. Virtus magna, sed cautelae magnae indigens, contra pertinacissimos tophos cum successu adhibita. Ingreditur Decoctum Monroi.

12. *Radix Astragalii exscapi* a Professore Winter et Barone a Quarin primum laudata, modo obsoleta.

13. *Flammula Jovis* a Barone Störck primum lui opposita in pulvere et extracto.

14. *Herba Gratiolae* in infuso et extracto absque tamen splendidis effectibus exhibita.

15. *Ledi palustris folia cum floribus*.

16. *Cicuta vulgaris* hodie a paucis interne praescribitur.

17. *Aconitum* quod famam suam antiveneream pariter Baroni Störck debet.

18. *Chelidonii majoris succus recens expressus efficacissimus inventus est; nec extractum qua adjuvans, incassum propinatur.*

19. Mira quoque narrantur de Opii antivene-  
rea virtute, quae dum ei non penitus denegari pos-  
sit, eo tamen laus ejus limitanda, quod praecipue in  
lue secundaria, et posthumis hujus sequelis fructum  
ab illo solo sperare liceat, in connubio cum mercu-  
rialibus salivationem diarrhoeamque retardet, do-  
lores sopiat, transpirationem saepe revera criticam  
promovet, miseriasque aegri hac ratione realiter  
minuat.

20. Sal cornu cervi in reliquiis morbi ve-  
neri dissipandis efficax. Prof. Schmidt in connu-  
bio cum Mercurio dulci pertinaces indurationes ope  
illius debellavit.

21. Antimonialia omnia adjuvantia omnino  
Mercurii, surrogata vero neutiquam dici possunt.

22. Laudata quoque Cupri praeparatorum an-  
tisyphilitica virtus. Sane ungu. aeruginis v. Aegyp-  
tiacum cancris et ulceribus pertinacibus atonicis ta-  
men, debita cum cautela admotum, qua causticum  
et reproductionem vitiatam corrigens locale reme-  
dium, valorem suum modo quoque possidet.

23. Parem celebritatem acidis minerali-  
bus ante plures jam annos Medici Angli compa-  
raverunt. Expectationi tamen nullatenus res-  
pondent.

24. Etiam cum electricitate et magne-  
tismo instituta tentamina, postulatis haud satis-  
fecerunt.

25. Amalgama, Oxydum, et Sales au-  
ri loco Mercurii syphilidi opponere, multi con-  
tendunt, quamvis casus non desint ubi ejus usus

indicatur, tamen praestat Hydrgyrum morbo venereo opponere.

Ex his omnibus patet, nos substantiam, quae Mercurium perfecte suppleret, vel eodem plane superior esset, nondum noscere. Eorum, quae hic breviter adducta sunt, pleraque, diversis temporibus vario successu adhibita surrogata, partim qua adjuvantia, partim qua corrigentia, partim qua accessoria in complicatione luis remedia applicari hodie quoque merentur. Bene vero investigare semper oportet, ubi hoc vel alterum indicatur; nam neque haec, quamvis omnia suo loco administrata valent, promiscue et ubique adhibere licebit. In casuum individualium praecisa determinatione felix curae eventus fundatur.

UNIVERSITÄT



## THESES DEFENDENDAE.

1. Nec cor, nec pulmones, per se causa circulationis.
2. Zoologia et medicus, et chirurgus, bona conscientia carere poterit.
3. Praeservativa interne adhibita, multos jam perdiderunt.
4. Nonnisi post mortem, gradum lethalitatis laesionum valemus determinare.
5. Simplex medicamen, tutissime dosi recta exhiberi potest.
6. Onaniac dediti autochiriam committunt.
7. Nyctalopiac causam non valet eruere ophthalmologia.
8. Omnis vis, quam vis vitalis superare aut neutram reddere non valet est venenum.
9. Praestantissimum remedium est aqua.
10. Medicus castrensis austriacus, linguam slavicam loquatur.
11. Hydrocele in sectione radicali optimum agnoscit remedium.
12. Herniotomia indicata, non sat cito suscipi potest.